

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Coniugium f
cum fonte primo

Bonum est coniugium
sed mala sunt que circa illud
ex huius mundi cura succrescunt.

Dum ergo tenetur quod non nocet
ex rebus iuxta positis,
committitur plerumque quod nocet.
Sicut sepe rectum mundumque iter pergimus,
et tamen ortis iuxta uiam uepribus
per uestimenta retinemur.
In uia quidem munda non offendimus,
sed a latere nascitur quo pungamur.

Gregorius libro XXII. moralium.

Bonum namque est coniugium,
sed mala sunt quae circa illud
ex huius mundi cura succrescunt.

Vnde Paulus ait:

*Qui autem cum uxore est cogitat quae sunt mundi,
quomodo placeat uxori.*

Vnde et quibusdam meliora persuadens,
eos a coniugio reuocat, dicens:

*Hoc autem dico, non ut laqueum uobis iniciam,
sed ad id quod honestum est
et quod facultatem praebeat
sine impedimento Dominum obsecrandi.*

Dum ergo tenetur quod non nocet,
ex rebus iuxta positis
committitur plerumque quod nocet;
sicut saepe rectum mundumque iter pergimus,
et tamen ortis iuxta uiam uepribus
per uestimenta retinemur.

In uia quidem munda non offendimus,
sed a latere nascitur quo pungamur.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 26.26 (CCSL
143B, M. Adriaen ed., pp.1298-9, ll.6-18).